


32. primi.

& anguli K, H , recti, ^a ideoque & reliqui KBM, HLM , æquales. Igitur quadratum ex FK, GH , tanquam ex vna linea, descriptum, & quadratum ex KC, CH , tanquam ex vna linea descriptum, hoc est, quadratum KH , vtraque simul, maiora sunt quadrato ex BK, DH , tanquam ex vna linea, descripto, & quadrato ex KM, MH , tanquam ex vna linea descripto, hoc est, quadrato KH , vtrisque simul. Ablato ergo communi quadrato KH , erit quadratum ex FK, GH , tanquam ex vna linea, descriptum maius quadrato ex BK, DH , tanquam ex vna linea, descripto; ideoque maiores erunt rectæ lineæ FK, GH , simul rectis BK, DH , simul; Ac propterea, demptis communibus BK, GH , erit FB , reliqua maior, quam reliqua DG . Est autem & KC , maior quam HC , quod tota AC , cuius dimidium est KC , maior ponitur quam tota CE , cuius dimidium est HC . Quapropter rectangulum sub FB, KC , contentum, maius erit rectangulo sub DG, HC , contento. Et quoniam triangulum FBC , dimidium est rectanguli sub FB, KC , contenti; (Nam si super FB , constituatur rectangulum altitudinem habens KC , ita vt triangulum, & rectangulum inter



41. primi.

eadem sint parallelas; b erit triangulum parallelogrammi dimidium. quod quidem parallelogrammum idem est, quod rectangulum sub FB, KC , contentum, vt constat.) Triangulum verò DGC , dimidium est rectanguli contenti sub DG, HC ; (Si enim super DG , constituatur rectangulum altitudinem habens HC , ita vt triangulum, & rectangulum inter easdem sint parallelas: c erit triangulum parallelogrammi dimidium. quod quidem parallelogrammum idem est, quod rectangulum sub DG, HC , contentum, vt constat.) erit quoque triangulum FBC , maius triangulo DGC ; ac propterea duplum trianguli FBC , nimirum rectilineum $AFCBA$, maius erit duplo trianguli DGC , vtpote rectilineo $CDEGC$. Quocirca, addito communi composito ex triangulis ABC, CGE ; erunt triangula AFC, CGE , vtraque simul maiora triangulis ABC, CDE , vtrisque simul. Duo ergo triangula Isoscelia similia super inæqualibus basibus constituta, &c. quod ostendendum est.

THEOR.